

«INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

De Archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (48)

4.13.4. De problemate Tragoessiano crescente deque Ottilianis difficultatibus internis (3)

Mirum in modum Archiabbati atque cellerario contigit, ut consultationibus reconcilationis cum Rudolfo von Leuzendorf adhuc vigentibus novam pecuniam conquirerent.¹ Agebatur hac in re de pecuniā die 2^o m. Febr. a. 1929^o mutuā² ab Amstelodamensi argentaria, c.n. «Nederlandsche Landbouwbank», praebitā, cuius summa constitit in 900.000 florenorum³ et quae per duas partes 450.000 florenorum danda erat.⁴ Haec pecunia mutua quindecim annos valuit, usque dum reddenda erat, et pro tota summa usurae septem centesimarum solvendae erant. Argentaria Amstelodamensis deinde syngraphas 100 sive 500 florenorum pecuniae collocatoribus praebuit.⁵

-
- 1 Contra opinionem Thomae Spreiter, qui suspicatus est neque Archiabbatem Norbertum neque P.rem Aloisium alicubi pecuniam creditam accepturos esse, cum res Tragoessiana ubique esset nota. - *Cfr* epistula Thomae Spreiter die 7 m. Dec. a.1928 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASO, Z.3.0.1.4; ASA, APr 595).
 - 2 Die 12^o m. Febr. a. 1929^o argentaria, quae est «Nederlandsche Landbouwbank» confirmationem huius pecuniae mutuae datae ad P.rem Aloisium Seibert miserat (ASO, A.4.2), quā condiciones generales denuo explicabantur. - Scitū dignum est hōc in conexū de aliā futurā pecuniā mutuo dandā 350.000 florenorum (= 588.000 marcarum = 996.610 scellinorum) sermonem esse, quae si tardissime Kal. Mart. a. 1930ⁱ adderetur. Etiam Iosephus Dimitz hanc tertiam partem in computationibus suis respexisse videtur, cum in fine mensis Februarii a. 1929ⁱ de debito 1.250.000 florenorum loquitur, quod Archiabbatia Ottiliensis susciperet. (*Cfr* epistula Iosephi Dimitz die 27 m. Febr. a. 1929 ad Notkerum Mannhart missa (ASO, A.4.2).
 - 3 900.000 fl = 1.512.000 m = 2.562.711 sc.
 - 4 Cyrill SCHÄFER (2005), p. 154 scribit Archiabbatem scopo debitorum aliter disponentium apud Monacensem argentariam, quae est Commerzbank, magnam summam pecuniariam suscepisse atque eodem tempore per argentariam Hollandicam syngraphas exhibuisse. Hōc locō tamen error quidam irrepsit, cum pecunia credita ab argentaria Commerzbank data iam nonnullis annis ante ad praedium silvestre emendum suscepta esset et pecunia ab argentaria Amstelodamensi mutuo data praeter alia adhiberetur, ut usurae pro pecuniā creditā argentariae Monacensis solverentur. Illo enim temporis momento argentaria Commerzbank neque «Culturali Societati» neque Archiabbatiae ullam aliam pecuniam creditam praebuisset.
 - 5 Hae syngraphae Kal. Mart. a. 1929ⁱ emissae et ab Archiabbate Norberto Weber subscriptae sunt. - Pecuniam mutuam Nederlandicam etiam commemorant Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöß (8.2.1946), p. 3 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1); Optatus



Exemplaria obligationum, quae ab argentaria Amstelodamensi exhibitae sunt.

Die autem 31^o m. Ian. a. 1929^o tunc revera reconciliatio inter «Culturalem Societatem» et Rudolfum von Leuzendorf facta est, quo die consultationes finales instituebantur. His colloquiis interfuerunt baro von Leuzendorf et ut repraesentantes «Culturalis Societatis» P. Aloisius Seibert atque P. Notkerus Mannhart, praeterea ut consultor consiliarius saltuarius Iosephus Dimitz. Reconciliatio autem iurisconsultis singularum factionum D.re Evaldo Schimm et D.re Hermanno Vilas praesentibus modo scripto exarata est.

Effectus erat praecipue hic:⁶ a «Culturali Societate» baroni adhuc 3.100.000 scellinorum danda erant. Pro illā summā pecuniariā usurae 5½ centesimarum solvendae erant atque éadem per tres partes tradenda erat.⁷ «Culturalis Socie-

PFÄFFLIN: Kulturverein Tragöß. Exposé (1945/46), p. 4 (ASO, A.4.2), qui tamen per errorem usuras initiales octo centesimas fuisse indicat.

6 Cfr Gedächtnisprotokoll zum Vergleich, 31.1.1929 (ASO, A.4.2).

7 500.000 scellinorum si tardissime usque ad Kal. Mart. a. 1929, 500.000 scellinorum si tardissime usque ad Kal. Sept. a. 1929, 2.100.000 scellinorum si tardissime usque ad Kal. Mart. a. 1930. - Usurae 170.000 scellinorum addendae erant.

tas» obligata erat, ut iurisconsulto baronis Leuzendorf si tardissime usque ad Kal. Mart. a. 1929^o sponsonem obstringentem argentariae Amstelodamensis praeberet, quā éadem summam pecuniariam reconciliatione constitutam solveret. Baro ipse obligatus erat, ut unāquāque summā partiali solutā hanc partem ex libro fundorum exstinguendam curaret atque hunc actum confirmaret. His conventionibus contractus mense Augusto a. 1927ⁱ initus invalidus



Casa caudicalis in regione Tragöß / Oberort sita.

est redditus. Nova vero puncta addita sunt «Culturalem Societatem» baroni concedere, ut idem ius primum venationis locandae haberet, et eidem venationem gratuito exercere licere, usque dum «Culturalis Societas» ius venationis locare posset.⁸ Denique Rudolfo von Leuzendorf omnes pensiones officialium, qui usque tunc in praedio silvestri operati erant, solvendae erant. Tota autem conventio valere coepit, simulatque sponsio argentariae Amstelodamensis allata erat. Illo temporis momento utraque factio actionem suam iuridicam retrahere debuit.

Imprimis P. Aloisius Seibert hunc eventum ut magnum successum celebravit,

8 Nonnulla alia privilegia, quae iam in contractū primario inveniebantur, renovata sunt, velut ius, quo baroni aedificiis in regione Jassing sitis uti liceret, vel usus gratuitus apparatus telephonicus etc.

id quod relationibus excitatis manifestavit,⁹ et eā de causā in Collegio Mona-
censi etiam divinum officium gratiarum actionis instituendum curavit.¹⁰
Tamen illas usuras 5½ centesimarum, quae singulis summis pecuniariis
baroni solvendis addendae erant, P. Aloisius in relationibus suis positivis non
commemoravit. Tamen etiam consiliarius saltuarius Dimitz satis contentus
erat.¹¹

P. Notkerus Mannhart, qui quidem ultimis consultationibus atque contractui
iungendo adfuerat, effectum aliquatenus sustentabilem, sed non ad iubi-

9 Aloisius Seibert in epistolā longā die 4 m. Febr. a. 1929 ad Ludgerum Breindl datā (ASO, A.4.2) explicuit, quae omnia hac reconciliatione pro Ottilianis effecta essent. Maximā ex parte ea, quae P. Aloisius hic rettulit, cum contractū reconciliationis congruunt. Tamen etiam scripsit baronem usuras usque tunc solvendas 300.000 scellinorum renuntiare, id quod in contractū non legitur. Praeterea nuntiavit Archiabbatiae Ottiliensi reconciliatione 3,33 miliones scellinorum remissas esse. Quomodo ad hanc summam pervenerit, non satis perspicuum est, fortasse pensiones solvendas adnumeravit. - Eādem autem epistolā P. Aloisius opinatus est in praedio oeconomice tractando annum detrimentum 30-60.000 marcarum (= 50.847-101.695 scellinorum) computandum esse, dixitque tamen eodem temporis momento verisimiliter maius lucrum effici posse. Hac contradictione internā monstratur apud ipsum nullam perceptionem realem condicionum oeconomicarum exstitisse sive potius desideria in cogitando exhibita esse.

Etiam erga alios P. Aloisius de reconciliationis effectibus suā sententiā positivis sermonem fecerat, sicuti ex.gr. ex epistolā Placidi Vogel die 5 m. Mart. a. 1929 ad Notkerum Mannhart directā (ASO, A.4.2) apparet.

10 Illud divinum officium gratiarum actionis Rupertus Klingseis in epistolā suā die 2 m. Febr. a. 1929 ad Notkerum Mannhart directā (ASO, A.4.2) commemoravit adnotans «*Hoc certe nimis maturum est.*» Aliquando postea nihilominus ad Notkerum Mannhart aliter scripsit (27.2.1929 (ASO, A.4.2)) se «*in re Tragoessiana de labore P.ris Aloisii contentum*» esse.

11 Iosephus Dimitz in epistolā die 11^o m. Febr. a. 1929^o ad Notkerum Mannhart missā (ASO, A.4.2) sententiam suam explicuit. Comparavit enim novum contractum diei 31ⁱ m. Ian. a. 1929^o cum eventū alicuius processūs iuridici fortasse facti, qua in re fundamentum computandi ei erat copia existens ligni veteris (800.000 metra cubica venditor praestiterat, 600.000 metra cubica revera aderant). Iosephus Dimitz itaque putavit modo alicuius processūs iuridici pretium emptionis tantummodo ad 4.275.000 scellinorum minui potuisse, quā condicione omnes restrictiones usūs remansissent, ita ut «Culturalis Societas» praedium silvestre secundum eius opinionem pretio 4.875.000 scellinorum tenuisset. Differentiam autem 225.000 scellinorum inter hanc summam atque summam 5.100.000 scellinorum revera solvendam esse pretium exhibendum, quo baronis iura quoad usum sublata essent, quae tamen realiter maiore pretio constarent.

landum esse existimavit.¹² Sibimet ipsi opprobrio dedit se his ultimis colloquiis non ipsum se inseruisse, ut pretium magis minui saltem conatus esset, quod secundum eius sententiam ad existentiam praedii silvestris servandam omnino necessarium fuisset.¹³ Cum hac condicione cohaerebat etiam sensus criticus, quod attinebat ad P.ri Aloisii habilitatem consulendi, qui - quamvis de hac re cum P.re Notkero convenisset¹⁴ - minutionem pretii efficere ne conatus quidem erat et qui videlicet nimis celeriter atque nimis timide postulatis alterius factionis cesserat.¹⁵ Denique P. Notkerus illum contractum reconciliationis saltem parvum progressum fuisse existimavit, sed eodem non id effectum esse, ut curae Tragoessianae revera minuerentur,¹⁶ cum idem praeter emptionis pretium constitutum etiam alios sumptūs erogandos iure meritoque ante oculos haberet.¹⁷

Quaestio nunc autem ponitur, qualia emolumenta «Culturalis Societas» atque

-
- 12 Cfr ex.gr. epistula Notkeri Mannhart die 15 m. Febr. a. 1929 ad Iosephum Dimitz directā (ASO, A.4.2); epistula Notkeri Mannhart die 7 m. Mart. a. 1929 ad Placidum Vogel data (ASO, A.4.2); epistula Notkeri Mannhart die 14 m. Mart. a. 1929 ad Rupertum Klingseis missa (ASO, A.4.2).
 - 13 Fuse Notkerus Mannhart dubitationes suas explicuit ex.gr.in epistulis die 8 m. Febr. a. 1929 ad Iosephum Dimitz (ASO, A.4.2); die 25 m. Febr. a. 1929 ad Aloisium Seibert (ASO, A.4.2); die 7 m. Mart. a. 1929 ad Placidum Vogel (ASO, A.4.2) missis. - Hōc in conexū P. Notkerus praeterea opinionem protulit illam exemptionem ab oneribus, quae dicitur, in comparatione pretii magis minuti Ottilianis minoris momenti esse, quia Rudolfo von Leuzendorf ex.gr. in venatione tantummodo ageretur de rebus idealibus.
 - 14 Inter ipsos talem consensum constitutum exstitisse P. Notkerus Mannhart commemoravit in epistulā die 25 m. Febr. a. 1929 ad Aloisium Seibert datā (ASO, A.4.2), sed etiam in epistulā suā die 15 m. Febr. a. 1929 ad Iosephum Dimitz directā (ASO, A.4.2).
 - 15 P. Notkerus P.ri Aloisio unā ex parte opprobrio dedit eum hanc quaestionem pretii magis minuendi ne tetigisse quidem, sed eum post actionem tacticam Leuzendorfiani iuris-consulti D.ri Evaldi Schimm pretium propositum statim accepisse, alterā ex parte eum usuris 5½ centesimarum, quae singulis summis pecuniariis baroni solvendis adiungendae erant, statim assensum esse neque quantitatem mediam usurarum usque tunc solutarum, id est quinque centesimas, obtulisse. Bono enim effectū utriusque puncti - sic P. Notkerus - condicionem Ottilianam magnā ex parte melioratam esse. - Cfr imprimis epistula Notkeri Mannhart die 25 m. Febr. a. 1929 ad Aloisium Seibert data (ASO, A.4.2).
 - 16 Sic scripsit Notkerus Mannhart in epistulā die 28 m. Febr. a. 1929 ad Placidum Vogel missā (ASO, A.4.2).
 - 17 In epistulā suā die 7 m. Mart. a. 1929 ad Placidum Vogel directā (ASO, A.4.2) Notkerus Mannhart praeter alia etiam sumptūs impensarum, laborum a iurisconsultis exhibitorum, pecuniae proxenetis solvendae etc. enumeravit, qui in summā 6.500.000 scellinorum facerent.

Archiabbatia Ottiliensis ex contractū reconciliationis revera habuerint. Responsum quidem satis facile est: cum 3.100.000 scellinorum solvendae essent, ad quas dandas Ottiliani se obligaverant, emptionis pretium praedii silvestris unā cum 2.000.000 scellinorum, quae iam erogata erant, in summā 5.100.000 scellinorum fecit. In comparatione primigenii pretii emptionis haec imminutio erat satis parva.¹⁸ Sed alterā ex parte Ottiliani tamen in eādem «muscipulā debitorum» sedebant ac antea,¹⁹ et reditus, qui ex praedio provēnit, etiam non maior erat quam ante reconciliationem. Problemata ergo vere manserunt eadem.

Sane sponsione argentariae Amstelodamensis in contractū postulatā atque primā parte pecuniae creditae translata²⁰ effectum est, ut Rudolfus von Leuzendorf contractum ratum agnosceret atque actionem iuridicam suam retraheret.²¹

18 Hartmut MADL (1999), p. 246 novum contractum breviter commemorat adnotans eodem pretium emptionis valde minutum esse.

19 Scitū dignus hōc in conexū est elenchus quidam in archivo Ottiliensi asservatus, cui titulus est «Indigentia pecuniae usque ad Kalendas a. 1929» («*Geldbedarf bis zum 1. März 1929*») (ASO, A.4.2). Huic elencho nullus dies quidem inscriptus est, tamen idem verisimiliter in medio / in fine mensis Martii a. 1929ⁱ exaratus est. Cum autem in computationes hic enumeratas etiam pecunia mensibus Ianuario et Martio a. 1930ⁱ solvenda assumpta est, in superscriptionem verisimiliter error typographicus irrepsit, ubi itaque «usque ad Kalendas Martias a. 1930» scribendum est.

Primo in hōc indice pecunia solvenda enumeratur, quae a «Culturali Societate» sive Archiabbatiā Ottiliensi certis temporibus ut solutio partialis Rudolfo von Leuzendorf tradenda erat, porro usurae solvendae argentariae Amstelodamensi atque argentariis Germanicis. Additae sunt sub rubrica «Diversi» (sic!) aliae usurae postulatæ, pecunia, quae Iosepho Dimitz atque D.ri Hermann Vilas pro eorum laboribus eroganda erat, solutio pecuniaria proxenetis exhibenda, pecunia saltuario praefecto Roberto Etzelt in munere finiendo solvenda etc. Hunc in modum summa usque ad Kal. Mart. a. 1930 eroganda erant 4.330.850 scellinorum. Deinde in elencho debita computabantur, quae ex illis solutionibus partialibus, ex pecunia argentariae Amstelodamensi credita atque ex tributis translationis exoriebantur. Sic effecta est debitorum summa tota 7.695.850 scellinorum. - Commentarius ad hos numeros videtur non esse necessarius.

20 Cfr epistula Aloisii Seibert die 13 m. Febr. a. 1929 ad Notkerum Mannhart directa (ASO, A.4.2); epistula Aloisii Seibert die 16 m. Febr. a. 1929 ad Notkerum Mannhart data (ASO, A.4.2), ubi etiam de multis multiplicibusque laboribus ad pecuniam mutuam acquirendam rettulit; epistula Iosephi Dimitz die 24 m. Febr. a. 1929 ad Notkerum Mannhart missa (ASO, A.4.2), quā scripsit pecuniam argentariae Amstelodamensis esse allatam.

21 Cfr epistula Iosephi Dimitz die 27 m. Febr. a. 1929 ad Notkerum Mannhart directa (ASO, A.4.2).

Tamen illa reconciliatio cum Rudolfo von Leuzendorf facta etiam alium effectum exseruit, qui ad totum problema mox solvendum non erat emolumento. Nam Abbas Primas Fidelis von Stotzingen hōc novō contractū initō atque Archiabbatis relationibus optimismo plenis medio mense Martio a. 1929ⁱ adductus est, ut scripto ad Vincentium La Puma, secretarium Congregationis Religiosorum, directo periculum non iam exstare nuntiaret.²² Ibīdem explanavit cum venditore praedii silvestris compromissum ad pretium emptionis minuendum factum esse²³ et Archiabbatem sperare se praedium quam celerrime vendere posse. Itaque non iam necessarium esse, ut ulla alia consilia susciperentur. Sic visitatio iam praecogitata erat sublata et resignationis petitio quōque Archiabbatis non iam respecta est disparuitque.

Imprimis Thomam Spreiter atque Bonifatium Sauer hōc progressū atque re ab Abbate Primate retractā non fuisse contentos bene imaginari possumus. Hōc episcopus Thomas in commercio suo epistulari cum Abbate Primate habito iterum iterumque clare manifestavit referens quōque ad perceptiones similes Bonifatii Sauer et proposita sua de modo progrediendi prius iam exhibita, quibus totum problema solveretur, compluries iteravit.²⁴ Hōc in conexū iure meritoque timuit, ne possibilis resignatio Archiabbatis contractū reconciliationis difficilior redderetur, et denuo questus est - et etiam hōc iure meritoque - Abbatis Primatis modum agendi haesitantem.²⁵

22 Cfr epistula Fidelis von Stotzingen die 12 m. Mart. a. 1929 ad Vincentium La Puma directa (ASA, APR 578). - Ad hanc rem etiam breviter Cyrill SCHÄFER (2005), p. 154.

23 Fidelis von Stotzingen porro explicuit Archiabbatem putare se illā pecuniā «reservatā» usuras pecuniae creditae assumptae solvere posse. Verisimiliter hōc in conexū sermo est de pecuniā creditā ab argentaria Monacensi, q.e. Commerzbank, praebitā. Cum autem res rationabiliter inspiciatur, animadvertitur hanc summam, quae pretio minuto «reservata» erat, unā ex parte ad usuras apud argentariam Monacensem solvendas non diu suffecisse (ne de usuris aliarum pecuniarum creditarum loquamur), alterā ex parte illam pecuniam omnino non exstitisse, ut pro aliquā re erogaretur.

24 Cfr ex.gr. epistula Thomae Spreiter die 15 m. Febr. a. 1929 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASA, Apr 595); epistula Thomae Spreiter Kal. Apr. a. 1929 ad Fidelem von Stotzingen missa (ASA, Apr 595); epistula Thomae Spreiter die 5 m. Maii a. 1929 ad Fidelem von Stotzingen data (ASA, Apr 595).

25 Etiam Abbas Placidus Vogel non ad illos pertinebat, qui progrediendi modum strictum praetulerunt. Itaque contractū inito existimavit «*nunc in Archiabbatia Ottiliensi propter disciplinam augendam nullas actiones graves instituendas*» esse. (Epistula Placidi Vogel die 16 m. Mart. a. 1929 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASO, Z.1.Asien; ASA, Apr 423). - Sententia originaliter Theodisca. - Similiter Placidus Vogel erga Thomam Spreiter sententiam suam protulit, cum solutione violentā etiam «*multum procellanum fran-*

Illi autem, qui pro praedio Tragoessiano responsales erant, tamen putaverunt imprimis pecuniā mutuā argentariae Amstelodamensis partem difficultatum, quae ex praedio silvestri exoriebantur, esse solutam. Praesertim consiliarius saltuarius Iosephus Dimitz, postquam contractum cum argentaria initum inspexit, de eius condicionibus atque possibilitatibus quasi in extasim raptus erat. Computationibus singillatim factis opinionem suam protulit, quā praedium propterea intra proximos novem decemve annos prorsus sine oneribus futurum esse posset.²⁶ Mirum autem est, ad quales effectūs positivos Iosephus Dimitz computationibus suis pervēnit. Enthusiasmo suo videtur illo temporis momento problemata tota paululum ex oculis amisisse.

Tamen magni momenti est, quomodo cellerarius P. Aloisius pecuniam ex argentariā Amstelodamensi proveniente adhibendam esse cogitavit. Secundum ipsius consilia ei in animo erat ex primis 450.000 florenorum 500.000 scellinorum, id est primam partem pecuniariam contractū constitutam baroni tradere, reliquum²⁷ ad argentariam Monacensem transferre, ut usuras pecuniae creditae solveret. Secundam partem pecuniae mutuae deinde totam Monacensi argentariae, q.e. Commerzbank, dare voluit.²⁸ Sed hunc in modum pro aliis actionibus, etiam pro reliquis pecuniis baroni dandis pecunia non iam aderat.²⁹ Nihilominus cogitatio fundamentalis, qua creditā pecuniā viliore conamen factum est aes alienum aliter disponendi, non erat pessima.

geretur» (Thomas Spreiter hanc sententiam Placidi Vogel attulit in epistolā suā die 5 m. Maii a. 1929 ad Fidelem von Stotzingen missā (ASA, APr 595). - Abbatem Placidum esse «Cunctatorem» et hanc indolem in problematis solvendis non esse utilem Thomas Spreiter decursū annorum iam saepius protulerat.

- 26 *Cfr* epistula Iosephi Dimitz die 27 m. Febr. a. 1929 an Notkerum Mannhart directa (ASO, A.4.2). - Computatio vero longa fuseque exarata ab homine talium rerum non perito non omnino perspicui potest. Suspiciendum autem est P. rem Notkerum quōque non omnes res singulas intellexisse, sed eum ex experientia cooperationis scientiae consilarii saltuarii confisum esse. Tamen apparet Iosephum Dimitz de lucris cogitare, quae annis insequentibus ex praedio silvestri exorirentur (quod satis mirum est) et illa lucra in computationes suas assumpsisse.
- 27 450.000 fl = 1.281.355 sc. - 500.000 scellinorum solutis restabant itaque 781.355 scellinorum = 461.000 marcarum.
- 28 *Cfr* epistula Aloisii Seibert die 13 m. Febr. a. 1929 ad Notkerum Mannhart directa (ASO, A.4.2).
- 29 Itaque scilicet disputari potest, quam idoneus ille progrediendi modus cellerarii fuerit. - Cyrill SCHÄFER (2005), p. 155 existimat Archiabbatiam hac pecuniā Amstelodamensi debita erga Rudolfum von Leuzendorf atque erga argentariam Monacensem solvere potuisse. Tamen computationibus apparet summam ad talia omnino non suffecisse.

Sed ut revera liberatio quaedam efficeretur, summa pecuniaria minoribus usuris assumpta debuisset esse multo maior.

Quamquam iterum pecunia allata erat, Otiliani emptorem praedii silvestris quaerere perrexerunt. Inde ex medio mense Februario a. 1929ⁱ P. Aloisius Seibert coniunctionem habuit atque consultationes iniit cum aliquo Franco-gallico complexū mercatorio, qui praedium quoddam silvestre in Austriā situm emere sibi proposuerat.³⁰ Cellerarius hōc quōque in casū iterum optimismi plenus erat, cum putaret illum complexum mercatorium satis pecuniae habere atque expectaret, si emptio fieret, totam pecuniam statim exhibitum iri. Ut vero emptores possibiles allicerentur atque de statu rerum instruerentur, ab Iosepho Dimitz nova relatio praedii aestimandi exaranda erat³¹ et repraesentatum illis complexūs mercatorii visitatio in praedio Tragoessiano praeparanda erat, ut iidem ipsi conspectum sibi compararent.



Locus, qui «Pfarrerlacke» appellatur et qui in valle Tragoessiana situs est.

Itaque P. Aloisius statim mense Februario a. 1929ⁱ P.ri Nokero praecepta exhibuit, quid īdem repraesentantibus complexūs mercatorii in ipso loco ut

30 Aloisius Seibert hunc novum prospectum venditionis commemoravit in epistulā suā die 13 m. Febr. a. 1929 ad Notkerum Mannhart datā (ASO, A.4.2).

31 Iosephus Dimitz in epistulā suā die 11 m. Febr. a. 1929 ad Notkerum Mannhart directā (ASO, A.4.2) de hac relatione breviter sermonem facit.

specialia emolumenta praedii silvestris commendaret.³² Ad haec emolumenta praeter alia pertinebant: silvam oeconomicam viis ad funivias atque ad stationes ferroviarias ducentibus bene instructam esse; funivias ipsas anno 1928^o melioratas esse; ex silvā tutelari proximis viginti annis 35.000 metrorum cubicorum ligni acquiri posse;³³ novam serratrinam magnae capacitatis exstare. Praeterea speciatim excellens regio venandi, possibilitas piscaturae et copia boni marmoris in praedio inventa commemorandae erant.³⁴

Pretium venditionis esse 7.000.000 usque ad 7.500.000 scellinorum P. Aloisius Francogallis emptoribus possibilibus indicaverat. Tamen, sicut erga confratres suos compluries asseveravit, etiam pro 6.500.000 scellinorum

32 Cfr epistula Aloisii Seibert die 16 m. Febr. a. 1929 ad Notkerum Mannhart missa (ASO, A.4.2).

33 Dubium tamen est, num in silvā tutelari omnino lignum caedi licuerit, et si licentia esset, num hic numerus nimis magnus fuerit.

34 Notkerus Mannhart in epistulā suā die 15 m. Febr. ad Aloisium Seibert directā (ASO, A.4.2) iam scripserat illum marmorem, qui in praedio inveniretur, fortasse aliquid ad pretium venditionis augendum attribuere posse. Tamen sibi conscius erat primo nonnullas condiciones de verā qualitate marmoris probandas esse, antequam ille marmor revera ut emolumentum praedii percipi posset. Qualitas lapidis videbatur quidem tam magna esse quam alius marmor bene vendibilis, sed problema erat in quaestione, num marmor Tragoessianus partibus vere magnis ex terra effringi posset et num eaedam hac formā ad stationes ferroviarias transportari possent, id quod deinde revera emolumentum esset in comparatione cum aliis locis marmoris. Itaque secundum sententiam P. ris Notkeri diligens inquisitio ab hominibus peritis facta erat necessaria atque magni momenti. P. Notkerus videtur commercium cum officinā quādam habuisse, cui nomen erat «Wandsbecker Marmorwerke», quae sub illis condicionibus memoratis monstraverat marmoris Tragoessiani sua quadamtenus interesse et quae quōque illam inquisitionem facturam esse. Aliud autem problema, quod P. Notkerus omnino recte vidit, erat in eo, quod «Culturalis Societas» non satis pecuniae habuit, ut ipsa illum marmorem effodere valeret. Itaque secundum eius sententiam erat magni momenti officinam pecuniosam invenire. Sed antequam P. Notkerus aestimationem definitivam alicuius emolumenti proferre atque gressus certos incohare voluit, primo certitudinem quandam habere desideravit. - De marmore atque de modo progrediendi cfr praeter scriptum supra commemoratum etiam epistula Notkeri Mannhart die 8 m. Mart. a. 1929 ad Rupertum Klingseis data (ASO, A.4.2) et epistula Notkeri Mannhart die 8 m. Mart. a. 1929 ad Norbertum Weber directa (ASO, A.4.2), quā Archiabbatem de licentiā rogavit, ut inquisitionem marmoris instituendam curaret. Quam licentiam a Norberto Weber die 24 m. Mart. a. 1929 accepit (ASO, A.4.2). - Scitū dignum praeterea est P. rem Notkerum de marmoris copiā 300.000 metrorum cubicorum loqui, cum Iosephus Dimitz in relatione suā, quā agitur de valore praedii Tragoessiani (cfr epistula Iosephi Dimitz die 16 m. Ian. a. 1929 ad Aloisium Seibert data (ASO, A.4.2)), non nimis exacte de «*aliquibus 100.000 mterorum cubicorum*» sermonem facit.

praedium statim vendere paratus erat. Causa, cur sich cogitaverit, satis bene intellegibilis est. Nam semimillione scellinorum infra pretium necessarium vendere praetulit quam viginti annos curas propter praedium Tragoessianum secum habere atque pecuniam debitam solvere non posse. Eius autem opinio sustentabatur ab conventū Ottiliensi, cum monachi rem quam celerrime venditum iri urgerent.³⁵

Consiliarius saltuarius Dimitz atque P. Notkerus Mannhart, qui tamen in ipso loco - sed sub aliis quōque aspectibus - praedium silvestre curabant, principaliter cogitationibus cellerarii, quas de pretio habuit, assensi sunt.³⁶ Tamen secundum eorum sententiam in praedio ita agendum erat tamquam idem retinendum esset, cum imprimis P. Notkerus dubitaret, num praedium Tragoessianum pretio apto satis celeriter vendi posset.³⁷

35 De hac quaestione *cfr* epistula Ruperti Klingseis die 27 m. Febr. a. 1929 ad Notkerum Mannhart missa (ASO, A.4.2), qui damnum etiam 300.000 marcarum accipi posse putavit, dummodo praedium silvestre quam celerrime venderetur. Aliter - ut opinabatur - nemo iam confidere de «*prospero statu Archiabbatiae Ottiliensis*».

36 Consiliarius saltuarius Dimitz existimavit, si emptores possibiles septem miliones scellinorum praebent, praedium revera maioris pretii esse. Hōc in conexū etiam monuit, ne praecipitanter ageretur, scribens: «*Prior impetus vehemens in praedium Tragoessianum nunc fugā ex loco Tragoessiano scilicet statim exaequari non potest.*» (Epistula Iosephi Dimitz die 19 m. Febr. a. 1929 ad Notkerum Mannhart data (ASO, A.4.2)). - Notkerus Mannhart putavit in consultationibus vendendi pretio maiore incohandum esse, ut denique pretio 7.000.000 scellinorum negotium finiretur. (*Cfr* ex.gr. epistula Notkeri Mannhart die 25 m. Febr. a. 1929 ad Aloisium Seibert directa (ASO, A.4.2); epistula Notkeri Mannhart die 21 m. Mart. a. 1929 ad Rupertum Klingseis missa (ASO, A.4.2)).

37 Venditionem complexui mercatorio Francogallico faciendam non celeriter transigi posse P. Notkerus ab initio suspicatus est, praesertim quia inspectio praedii ab illis, quorum res intererat, instituenda denique tempore vernali fieri posset. - *Cfr* epistula Notkeri Mannhart die 15 m. Febr. a. 1929 ad Iosephum Dimitz data (ASO, A.4.2); epistula Notkeri Mannhart die 15 m. Febr. a. 1929 ad Rupertum Klingseis missa (ASO, A.4.2); epistula Notkeri Mannhart die 25 m. Febr. a. 1929 ad Aloisium Seibert directa (ASO, A.4.2). Maioris tamen momenti sunt P.ri Notkeri deliberationes de pretio postulando. Nam cum praedium silvestre illo temporis momento tantummodo circiter 5.000.000 scellinorum valeret, sed unā cum omnibus tributis circiter 6.500.000 usque ad 7.000.000 scellinorum constaret, secundum eius sententiam verisimilitudo, qua praedium Tragoessianum celeriter venderetur, satis parva erat. (*Cfr* epistula Notkeri Mannhart die 3 m. Mart. a. 1929 ad Rupertum Klingseis missa (ASO, A.4.2); epistula Notkeri Mannhart die 8 m. Mart. a. 1929 ad Norbertum Weber directa (ASO, A.4.2)).

In epistulā commemoratā ad Rupertum Klingseis missā etiam relatio paululum difficilis inter P.rem Notkerum atque P.rem Aloisium iterum apparet. Nam P. Notkerus perspicue explicare conatus est P.rem Aloisium res dissipavisse, quae non cum opinionibus

P. Notkerus denuo recte dixit. Nam quamquam consultationes cum complexu mercatorio Francogallico habitas per aliquod spatium temporis continuabantur, medio mense Martio a. 1929ⁱ apparuit Francogallos praedium Tragoessianum non esse empturos, etiamsi iidem praedium silvestre in Stiria situm omnino non inviserant.³⁸ Hunc in modum aliud quoque inceptum, quod a cellerario ab initio iterum tam optimistice actum est, in irritum ceciderat.

Sed interea alia quoque coniunctio exorta erat, quae quoad progressum praedii Tragoessiani denique non erat emolumento et quae hunc in modum Archiabbati Norberto facta est calamitosa. Verisimiliter in initio anni 1929ⁱ³⁹ relatio quaedam iniebat cum fratribus Eugenio [*Eugenio*] et Friderico [*Fritz*] von Stirling Vindobonensibus, quibus titulus baronis erat et qui - ut ipsi dixerunt - cruce ordinis Maltesiorum honorati erant. Quomodo haec relatio facta sit, non satis apparet. Cum autem condicio Tragoessiana fuerit nota, suspicandum est primum gressum a fratribus Stirling factum esse, qui ex hac relatione emolumentum pecuniarium sibi exoptaverant et eā de causā ad Archiabbatem Norbertum Weber atque ad cellerarium P. rem Aloisium Seibert se converterant. Ut videtur, semet ipsos tam idoneos atque in negotiis tam peritos exhibere valuerunt, ut fiduciam Archiabbatis cellerariique obtinere possent.⁴⁰

Fratribus Stirling deinde videlicet satis celeriter potestates in praedio Tragoessiano administrando traditae sunt,⁴¹ quae quidem decursū temporis

argumentisque P. ris Notkeri congruebant. Praeterea - ut scripsit - P. rem Aloisium, cum P. Notkerus sententiam proferret, esse plerumque nimis sensibilem.

38 In epistolā suā die 15 m. Apr. a. 1929 ad Notkerum Mannhart directā (ASO, A.4.2) Aloisius Seibert rettulit complexum mercatorium Francogallicum emptionem recusavisse, quia pretium septem milionum scellinorum nimis magnum erat et Francogalli aliud praedium magnum in Austria emerant.

39 Exactum tempus non iam comperiri potest. Primā vice Eugenius von Stirling in commercio epistulari commemorabatur die 26^o m. Febr. a. 1929^o (cfr epistula Notkeri Mannhart die 26 m. Febr. a. 1929 ad Aloisium Seibert data (ASO, A.4.2)).

40 Ut dicebatur, fratres Stirling ipsi praedium quoddam silvestre in Hungaria situm possiderunt (vel saltem possiderant) et optimas relationes (cum quocumque) habuerunt. - Cfr epistula Notkeri Mannhart die 18 m. Iun. a. 1929 ad Ferdinandum Stanislaum Pawlikowski directa (ASO, A.4.2).

41 In epistolā iam commemoratā die 26 m. Febr. a. 1929 ad Aloisium Seibert missā (ASO, A.4.2) Notkerus Mannhart rettulit Fratrem Innocentium certam summam pecuniariam a barone Stirling petivisse, sed tantummodo partem quandam accepisse. Itaque baro Stirling iam illo temporis momento ius quoddam disponendi habuit,

maxime auctae sunt. Fratres Stirling tunc etiam satis velociter cogitationem susceperunt, quā contractus lignorum caedendorum, qui dicitur, exararetur, id est conventio, quā aliqua officina lignaria certam copiam lignorum caesorum certā summā pecuniariā regulariter coemeret.⁴² Consilia autem ad novum contractum huius generis instituendum itaque si tardissime mense Aprili a. 1929ⁱ initium ceperunt. P. Aloisius eā de causā ad consultationes Vindobonae versabatur,⁴³ et P.ri Notkero in praedio Tragoessiano mandatum est, ne lignum vendere pergeret, cum mox aliae rationes inceptaque instarent,⁴⁴ et circiter finem mensis Maii possibiles socii contractūs inspectionem praedii silvestris instituerunt.⁴⁵ Denique P. Notkerus in fine mensis Maii rogatus erat, ut Monacum in Collegium Ottiliense sive in Archiabbatiam se conferret, cum conventus cum P.re Aloisio atque Eugenio von Stirling ad alia colloquia instituenda esset propositus.⁴⁶

Interea autem satis celeriter apparuit Eugenium von Stirling auctoritatem in rebus Tragoessianis decernendis suscepisse, in quā re neque P. Aloisius

42 Similia Ottiliani iam in initio historiae Tragoessianae cum officinā Hörsch conati erant.

43 Cfr ad hanc rem ex.gr. epistula Fridolini Zimmermann die 27 m. Aprilis a. 1929 ad Aloisium Seibert directa (ASO, A.4.2), quā P.ri Aloisio iussū Eugenii von Stirling nuntiatur ipsi ad consultationes Vindobonam veniendum esse.

Ceterum Eugenius von Stirling totā in re Tragoessianā actuosius fuisse videtur quam ipsius frater.

44 Cfr epistula Aloisii Seibert die 7 m. Maii a. 1929 ad Notkerum Mannhart directa (ASO, A.4.2). - Mirum in modum initio huius epistulae leguntur haec: «*Tantummodo tibi destinatum atque quaeso nemini de hac re nuntius detur.*» (Textus originaliter Theodiscus).

45 Cfr epistula Notkeri Mannhart die 22 m. Maii a. 1929 ad Iosephum Dimitz missa (ASO, A.4.2). - P. Notkerus ibidem tantummodo de «dominis» loquitur, qui in praedio versati sunt, sed agebatur praeter P.rem Aloisium verisimiliter de fratribus Stirling et de repraesentantibus officinae lignariae. P. Notkerus praeterea commemoravit repraesentantes officinae lignariae copiā ligni exstantis tam contentos fuisse, ut de lignorum caedendorum contractū decem annorum cogitarent. Haec sententia P.rem Notkerum quidem modo cauto optimisticum reddidit, cum consiliarius saltuarius Dimitz illo temporis momento existimavit decem annos nimis breves esse et contractum minimum quindecim annorum esse necessarium. (Cfr epistula Iosephi Dimitz die 24 m. Maii a. 1929 ad Notkerum Mannhart data (ASO, A.4.2)).

46 Hae consultationes provisae erant fieri die 31^o m. Maii a. 1929^o, sed demum nonnullis diebus post instituebantur, cum reliqui sodales conventūs exspectandi erant. - Cfr epistulae Notkeri Mannhart die 30 m. Maii a. 1929 ad Aloisium Seibert directa (ASO, A.4.2); Kal. Iun. a. 1929 ad confratres Tragoessianos data (ASO, A.4.2); die 7 m. Iun. a. 1929 ad confratres Tragoessianos missa (ASO, A.4.2).

neque Archiabbas Norbertus resistantiam quandam exhibuisse videntur. Manifestatur haec condicio illo tempore praeter alia in eo, quod Eugenio von Stirling instigante P. Notkerus munus vicepraesidis «Culturalis Societatis» deponere coactus est, non iam ut Superiore praedii Tragoessiani functus est atque praedium silvestre relinquere debuit.⁴⁷

Iam inter consultationes in Archiabbatiā habitas Eugenius von Stirling non ita bene se gessisse videtur, qui P.ri Notkero opprobria vehementia exhibuit, cum P. Notkerus secundum sententiam Eugenii von Stirling se ad praedium silvestre administrandum inhabilem praeberet et hunc in modum eius problemata auxisset.⁴⁸ Eugenium von Stirling a P.re Notkero liberari voluisse versimiliter imprimis inde provēnit, quod P. Notkerus ex experiētiis suis conexūs in praedio silvestri administrando perspectos habuit, altera ex parte quod idem erat homo sui iudicii, qui cogitationes criticas ad quasdam condiciones spectantes aperte protulit.⁴⁹

SIGRIDES ALBERT

[VOX LAT. 222, 2020, pp. 501-514]

47 Cfr ex. gr. epistulae Notkeri Mannhart die 11 m. Iun. a. 1929 ad Elisabetham [*Else*] Zinser directa (ASO, A.4.2); die 12 m. Iun. a. 1929 ad Adalricum Mühlebach data (ASO, A.4.2); die 18 m. Iun. a. 1929 ad Robertum Etzelt missa (ASO, A.4.2); die 18 m. Iun. a. 1929 ad Ferdinandum Stanislaum Pawlikowski directa (ASO, A.4.2).

48 Cfr ex.gr. epistula Eugenii von Stirling die 20 m. Iun. a. 1929 ad Notkerum Mannhart directa (ASO, A.4.2). - Ad hanc rem cfr etiam epistula Notkeri Mannhart die 28 m. Iun. a. 1929 ad Norbertum Weber missa (ASO, A.4.2), quā rogavit, ut ipse in Archiabbatiā de omnibus conexibus rationem reddere posset. Hōc commissō se ex parte Norberti Weber ut «*voluntatem ad iustitiam exhibendam*» percepturum esse. - Cfr praeterea epistula Notkeri Mannhart die 20 m. Iul. a. 1929 ad Placidum Vogel directa (ASO, A.4.2), quā condiciones denuo explicuit. Hōc in conexū insuper protulit se non facto ipso tangi sibi praedium Tragoessianum relinquendum esse, sed circumstantiis, quibus hōc fieret.

49 Scitū digna hōc in conexū praeterea est sententia, quam Iosephus Dimitz in epistulā die 13 m. Iun. a. 1929 ad Notkerum Mannhart directā (ASO, A.4.2) scripsit: ipsi Salisburgum vehendum fuisse, «*ut «honorem» haberem novi «baronis» cognoscendi, qui in sortem Ottiliensem atque Tragoessianam manus insereret. Epistula Tua modo in tempore allata est, antequam ad «colloquium» profectus sum, quā de causā ad tabacum forte percipiendum praeparatus eram. Tamen exspectationes meae longe superatae sunt.*» - Textus originaliter Theodiscus.